

Vg
4487



Vg
4487

HISTORIA
DE ORIGINE
ET INCREMENTIS ILLV-
STRISSIMAE ET INCLYTAE

FAMILIAE MARCHIONVM BRAN-
deburgensium, Elegiaco car-
mine illustrata,

à

IOHANNE SCHOSSERO
Poëta Laureato.

Cum præfatione
PHILIPPI MELANTHONIS.

VVITTEBERGÆ.

ANNO M. D. LVIII.



HISTORIA
DE ORGANE
IN MORBENTIS
STREMA ET INCLTAE
EPIGRAMMA.

Marchiadum præclara domus ab origine prisca
Schofferi referens stemmata, Musa canit.
Quam cum alios constet multos celebrasse Poëtas,
Condidit istius carmina nemo modi.
Hæc erit ergò tui meriti nunc gratia : primum
Nota quod est per te Marchias ipsa sibi :
Deinde quod inuenit se dignum tanta Poëtam
Nobilitas: quæ laus utraq; summa tua est.
Nam neq; tu leuibus posses incumbere rebus,
Edere componens tale nec alter opus.

Joachimus Camerarius F.

INCLYTIS ET ILLVSTRIS-
SIMIS PRINCIPIBVS ET DO-
MINIS, DOMINO IOACHIMO II. MARCHIO-
ni Brandenburgensi Electori: Et Domino Sigismun-
do Archiepiscopo Magdeburgensi, Primati
Germaniæ: & cæteris inclytis Prin-
cipibus Marchionibus Bran-
deburgensibus,
S. D.



Vltia sunt illustria testimonia de Deo, de
prouidentia, deq; præsentia eius in ge-
nere humano impressa naturæ rerum,
& humanis mentibus. Nam ut nunc
non dicam de figura mundi, de ordine
motuum cœlestium, de temporum uis-
cibus, de terræ positu & uarietate rerû nascentium par-
tim uictus partim medicationis causa, fateri necesse est,
certas ac perpetuas noticias in mente humana, intel-
lectum numerorum & ordinis & discrimen immotum
honestorum & turpium, non posse à cœcis atomis aut
ab ulla natura non intelligente initia habere, sed radios
esse ab intelligente natura architectatrice & formatrice
rerum, sparsos in mentes humanas, ut sciremus & esse
Deum, & esse sapientem, ueracem, beneficum, castum
& uindicem scelerum. Deinde & conseruatio legitima
societatis hominum, testimonium est de præsentia
Dei in genere humano. Vt enim cum in gregem lupi
& ursi grassantur, pastorum cura tamen & excubijs
magna

magna pars gregis seruator: ita quanquam horrendis furoribus Diaboli & homines impij, qui sunt organa Diabolorum, tristissimas dissipationes efficiunt: tamen quantum ordinis politici reliquum est, uerissime seruatur à Deo, qui non sinit penitus interire genus humanum, ex quo Filius massam adsumpsit, ac seruat ideò reliquias, ut inde Ecclesiam æternam colligat, quæ inseritur massæ, quam filius adsumpsit. Et quidem mirandis operibus ostendit Deus præsentiam suam, certò punit latrocinia, iuxta dictum: Omnis qui gladium acceperit, gladio peribit. Sæpè magni exercitus ab exiguo numero uincuntur, quia Deus iniusticiam punit. Quàm exigua fuit Cyri potentia collata ad Assyriorum & Chaldeorum regna: Quid Alexandri uires & opes fuerunt, collatæ ad potentiam Orientis: Sed ueram esse agnoscamus Danielis concionem, Deus transfert regna & stabilit. Et Psalmus inquit: Nisi Dominus custodierit ciuitatem, frustra uigilat, qui custodit eam. Firmissime igitur statuamus Deum uerè custodem esse legitimæ societatis hominum, & politicum ordinem propter uoluntatem Dei amemus, ueneremur, & grati celebremus hanc Dei præsentiam. Simus grati etiam salutaribus Principibus, & familijs eorum, quas Deus in hoc fastigium collocauit, & seruat, ut sint organa legitimæ societatis. Diu autem & in summo senatu generis humani, uidelicet inter Principes Electores, & in defensione harum regionum ad Albin, & ad Viadrum, & in ora Francica & Norica, Familia uestra res magnas gubernauit & gessit. Quare gratitudo & maioribus uestris & uobis debetur. Utile est autem
propter

propter testimonia de praesentia Dei in Imperiis, extare
quam plurimas historias Regnorum & Principum.
Quare & uestrae familiae res gestas ordine describi magis
noperere optarim. Tempore Imperatoris Rodolphi,
qui in Germania, cum Pontificis fraudibus ualde dis-
lacerata esset, pacem, leges & iudicia restituit, maximae
res gubernatae sunt consilio Friderici Burggrauis No-
ribergensis, a quo deinceps Burggrauis Noribergenses
& Marchiones Brandenburgenses orti sunt, fitque eius
mentio in bello Boiémico tunc gesto. Deinde in dissensio-
ne, quam etiam accenderant Romani Pontifices, in-
ter Ludouicum Bauarum & Fridericum Austriacum,
in pugna ad Neccharum, captus est Austriacus a Burg-
grauio Noribergensi, qui in ea discordia non solum
fortitudinis, sed etiam iusticiae laudem adeptus est, quod
defensionem iustae partis adiuuit. Idem Burggrauis
uictor, etiam autor pacis inter Ludouicum & Frideri-
cum fuit, eiusque consilii pacis conditiones scriptae & res-
ceptae sunt. Postea Sigismundi Imperatoris tempore
Fridericus III. Burggrauis Boiemos populantes
Noricum & uiciniam, ex ea Germaniae parte factis ali-
quot praelis expulit. Deinde cum Sigismundus Im-
perator tradidit Marchiam Brandenburgensem, & Ele-
ctoris dignitatem eidem Friderico, diuturna bella
gesta sunt a Friderico & Alberto filio, quibus etiam
Iohannes & Fridericus Alberti filii interfue-
runt. Haec in publicis historiis breuiter recensentur, sed
integre exponi optarim inspectis domesticis monu-
mentis. Oro autem Deum aeternum patrem Domini
nostri Iesu Christi, creatorem generis humani, qui cur-
stos

stos est legitimæ societatis humanæ, ut & familiam uestram seruet ac gubernet, & patriam protegat. Vos etiam adhortor, ut quod facitis, Ecclesias Filij Dei foueatis, & honestis studijs doctrinarum opem feratis. Quæ in re cum optima uoluntas uestra nota sit uniuersæ Germaniæ, docti uicissim studia sua uobis ostendere solent: inter quos ut hunc Iohannem Schofferum præconem laudum uestrarum, clementer complectamini, etiam atq; etiam oro. Qui cum sit vir bonus & honestus, & recte inuocet Deum, sciatq; uenam fundendi carminis sonori & elegantis, Dei opus & donum esse, confert eam ad Dei et bonorum principum laudes celebrandas, non ad inanes ludos, nec ad contumelias honestorum Principum, nec ad incitandos homines ad contemptum legum & ordinis politici, quibus argumentis non pauci inquieti homines delectantur qui seueritate honorum gubernatorum coercendi erant. Posteritatem etiam boni Principes intueantur, & curent, ne doctrina necessaria extinguatur, sed ut sint in Ecclesijs & in consilijs Publicis recte docti, inuocantes Deum, & amantes piæ concordiam ac pacem, & conseruationem

generis humani. Datum Wittebergæ

Calendis Aprilis. Anno

1558.

Cels. V.

Seruus

Philippus Melanthon.

HISTORIA
DE ORIGINE ET INCRE-
MENTIS ILLVSTRISSIMÆ ET
INCLYTÆ FAMILIÆ MARCHIO-
num Brandeburgensium, Elegiaco
Carminē illustrata,

à
IOHANNESCHOSSERO

POETA LAUREATO.

Vos quibus est series heroū nota Camoenæ,
Dicite Marchiacæ quæ sit origo domus,
Et quibus auspicijs diuersas illa per oras
Multiplicata suo stemmate, sceptrā gerat.
Vtq; Columnæ a ueterum de gente Quiritum
Ducta sit, & Latij nobilitate soli,
Dicite: sic uobis hedera frondente coronas
Roscida formosis fontibus antra ferant,
Cæsar ut Henricus regalia sceptrā tenebat,
Qui dictus tali nomine, quartus erat:
Exarsit Latios discordia sæua per agros,
Plenaq; ciuili Roma furore fuit:
Quod patribus lectus Romana Præsul in aula,
Cæsare non illis adstipulante, foret.
Hoc etenim proceres haud æqua mente ferebāt,
Sanctior ipse quibus Cæsaris esset honor.

Non

Non erat Antistes ueræ pietatis alumnus,
Pontificis qualem grande requirit onus,
At scelerum studijs & iniquo præditus astu,
Improbis, inconstans, turpis, auarus, iners.
Nomine Gregorium se pessimus ille uocabat,
Semper & Henrici Cæsaris hostis erat.
Attulit hoc ipsi cladem; nam captus ab urbis
Nobilibus, scelerum præmia iusta tulit.
Tunc proceres inter, quos Cæsaris aura trahebat,
Petrus erat, sapiens ciuis, & urbis honor:
Qui genus a proauis canitur duxisse uetustis,
Clarus & insigni stirpe fuisse domus.
Ille gubernabat patrij moderaminis hæres
Oppida diuitijs nobilitata suis:
Scilicet illustri signatam uoce Columnam,
Quæ generi illius nomina clara dedit:
Et Prænestinam rigidus quam Coeculus urbem
Dicitur in uiridi constituisse iugo:
Teq; simul Zagarolla potens, at in urbe Quiritum
Patritios inter uiuere suetus erat.
Non tulit hunc Præsul, furijs agitatus & ira,
Cum primū manibus uincula dempta foret.
Impete sed uasto petijt: iuuere furentem,
Cæsareum puduit quos tolerare iugum.
Ille potens quanq; tantis tamen hostibus impar
Succumbit marti Præsul inique tuo.
Atque

Atque suis opibus spoliatus ab urbe Quirini
Pellitur, & patriam deserit exul humum.
Fleuit Roma, sui lugens incommoda ciuis,
Ac doluit iustum damna tulisse uirum.
Ceu sapiens Cicero cum pulsus ab urbe recessit,
In toto questus personuere foro.
Exilium tulerat non longo tempore, quando
Reddita Pontificis mitior ira fuit.
Supplicis ergo preces postq̄ misisset ad aulam,
Obtinuit facta pace redire domum.
Atque suas urbes & pristina iura recepit,
Quicquid & ereptum uiribus hostis erat.
Illius hæc etiam senserunt munera nati,
Quos tulerat casta de genitrice parens.
Vnus erat tantum, qui flexo poplite supplex
Nollet ad offensi Præsulis ire thronum.
Nomine Ferfridus: iuuenilibus integer annis,
Atque Columnææ gloria summa domus.
Huius enim præstans animus, generosaq̄ uirtus,
Abnuit indignos ante iacere pedes.
Et secum: quamuis me fors inimica fatiget,
Et premat innumeris inuidiosa malis:
Haud tamen adducar, uictoris ad atria sæui
Quo gressum ritu supplicis ipse feram.
Nunquid adorentur tanti mihi sceptrâ tyranni?
Quo nihil hic ingens turpius orbis habet.

B

Qui

Qui residens Romæ dominatur, Cacus ut alter,
Et uaria regnum fraude doloq; tenet.
Qui serit æterni crudelia semina belli,
Impius, & sclerum flagitiique parens.
Non placet hoc : tellus quæuis est patria forti,
Omnis uirtuti commoda præstat humus.
Dulce solum Latij, cariq; ualete parentes,
Et fratres nostræ lumina clara domus.
Me procul hinc pia fata trahunt, iuuat ire per Al-
Cæsaris & fasces imperiumq; sequi. (pes,
At mihi si uerum dictant præfagia mentis,
Tristia te, Romæ curia, damna manent.
Namq; Columnæo de stēmate plurimus heros
Inferet ultrices in tua tecta manus.
Duriter atq; premet nostræ te copia gentis,
Dum uoluet rapidas flumine Tybris aquas.
His dictis secum iuuenis pulcherrimus usus,
Pectora magnanimi protinus urget equi.
Et patriam centum fidis stipatus alumnis
Deserit, & cupide Teutonis arua petit,
Venerat ad ripam, quam plenis alluit undis
Lapsus ab excelsis Alpibus amne, Lycus:
Cum senior uitreo de gurgite prospicit, udo
Per caput & glaucas rore fluente genas.
Atq; ait : o iuuenis qui nunc in finibus hospes
His ades, & Latia de regione uenis:

Auspicijs

Auspicijs nostrum supera felicibus amnem,
Fataq; sint coeptis non inimica tuis.
Exoptatus ades, placido Germania uultu
Te uidet, & gremio suscipit æqua suo.
Ac tibi non longo post tempore tradet hono-
Ne desint laudi præmia iusta tuæ. (res.
Nam uicina mihi qua findunt rura Sueui,
Accipies populi frena regenda noui.
Inter & eximios proceres, quos Parrhasis arctos
Spectat, in illustri constituere loco.
Tu modo perge tuis nomen sustollere factis,
Ac superare tui fortia gesta patris,
Hactenus: & madidis uitreū caput occulit un-
Applaudit motis ripa sonora uadis. (dis,
Interea rumor nostras compleuerat oras,
Insignes animis appropere uiros,
Omnis in occursum igitur Germanica pubes
Soluitur & lætos fundit ab ore sonos.
Faustaq; de Latio uenientibus orbe precatur,
Donat & his, quicquid patria gignit humus.
Tempus erat, Princeps quo tristia bella Rodol-
Mouisset, summi Præsulis auctus ope. (phus
Auspicijs cuius, Romani Cæsaris uti
Non ueritus titulis imperioq; foret.
Albidos ad ripas & Salæ dira fremebant
Clasica, plena feri terræq; martis erat.

B ij Namq;

Namq; sibi Sueuis coniunxerat arma cohortū,
Saxo rebellanti quas generasset humo,
Et pius econtra non segni milite Cæsar,
Culte tuos late Sala premebat agros,
Iamq; locum castris elegerat agmen utrunq;
Vrbs ubi de Martis nomine dicta iacet:
Cum Ferfridus adest, & campo uectus aperto
Aduolat, illustri se comitante choro,
Cæsaris atq; petit placidis tentoria signis,
Seq; probat socias agglomerare manus,
Audiit hoc Cæsar, lætatus & hospite tanto,
Iussit eum propius uerba diserta loqui,
Ille uerecundo subiit tentoria gressu,
Suauiter ac tales protulit ore sonos,
Arbiter Imperij, quem Teutonis ora ueretur,
Et uoluit regni scepra tenere sui.
Si tibi non uario struerentur damna tumultu,
Non premeret nostrum fors inimica caput,
Tuq; frui posses tranquilla pace quietus,
Et patriæ dulcis me retineret humus,
At quia fata tibi non parcunt optime Cæsar,
Ipse etiam tecum damna malumq; fero,
Namq; tuū nomē dum fortibus adsero pugnis,
Inuidiæ contra Pontificisq; dolos:
Victus ab hoste, simul patrē Latiūq; relinquo,
Ne iaceam supplex Præsulis ante pedes.

Tota

Tota domus nostræ (iuro) tibi fida Columnæ,
Mille per ærumnas, mille pericla, fuit.
Sed potuit nimix non sola resistere molí,
Suppetias illi dum prope nemo tulit.
Ergo parum fausto certamina Marte peregit,
Victaq; non æquo nuper ab hoste, iacet.
Nec tamen hoc adeo queror, ut te maxime Prin
Lætor adhuc salua prosperitate frui. (ceps
Tu quoniam lapsis præstare leuamina rebus,
Et seruare tibi dedita membra, potes.
Sic ubi uentorum quassatur uiribus arbor,
Quæ stat in excelso conspicienda iugo,
Languescunt subito concussi turbine rami,
Quos prope cum folijs mobilis aura rapit.
Ast illæsa manent firmi dum robora stirpis,
Rursus ab hoc transit mēbra per icta uigor.
Me quoq; ne sæuo quassatum turbine belli,
Diue pater patriæ destituisse uelis.
Sed ueluti membrū, tibi quod constāter adhæ
Digneris studio sustinuisse tuo. (ret,
Multa licet pro te fuerim durissima passus,
Attamen & posthac non leuiora feram.
Omnis & hic Italis miles deductus ab oris,
Formidanda tuo nomine bella geret.
Finierat: Cæsar cum talibus ora resoluit,
O iuuenis Latix nobilitatis honor.

B iij

Quod

Quod fera nos dubio discrimine bella fatigant,
Sorsq; furit sceptris insidiosa meis:
Disponente Deo fieri reor, omnia regum
Qui solet æterna flectere fata manu.
Hic iterum nobis placidæ dabit oia pacis,
Cum uolet, & martis triste fugabit opus.
At tua dextra meo quod nomine prælia fecit,
Agnosco fidei signa probanda tuæ.
Rursus & efficiam, ne te uirtutis auitæ
Vllius aut meriti poenituisse queat.
Imminet, & nobis triltissima quæq; minatur
Sueuus, & horrendo concutit arma sono.
Qui si uictus erit nostra uirtute tuæq;
Non erit officij gratia uana tui.
Hæc ubi dixisset, conuiuia lauta parantur,
Totaq; lætitiæ regia castra uacant,
Non aliter quondam regi tractatus Acestæ
Impiger Aeneas Trinacrijsq; fuit.
Postera lux umbras coelo dimouerat atras,
Tympana cum duri martis ad arma uocant.
Terribilesq; tubæ resonant clangore frequenti,
Inq; uicem litui prælia sæua cient.
Confurgit ualido stipatus milite Sueuus,
Primus & ardenti pectore signa mouet.
Nec minus Henricus fortes in prælia turmas
Concitat, & lentas increpat ore moras.
Concurrunt

Concurrunt acies, complentur milite campi,
Iamq; uelut lapsa grandine tela uolant.
Ante alios graditur, pugnaq; Columnius heros
Appetit, & martis se probat esse genus.
Hunc spadix producit equus, phalerisq; super:
Et tam magnanimi lætus honore uiri. (bus,
At cælata tegunt patrijs insignibus arma,
In quibus est ater, candidus atq; color.
Primus in aduersos irrumpit fortiter hostes,
Multaq; Sueuorum corpora sternit humi.
Quaq; uenit, ferro metit obuia quæq;, uiamq;
Efficit, & crebro sanguine foëdat agros.
Non aliter q; si densum nemus horridus ignis
Inuolet, & flammis per iuga pandat iter.
Aspicit hunc toruo, progressus in agmine, uul-
Ingentiq; tonans uoce Rodolphus, ait. (tu,
Tene fuit Latijs discedere Præsul ab oris
Passus, & incolumi uertere terga gradu:
Ante tui potius cecidisses ora parentis,
Romulidum quando pulsus ab urbe fuit:
Qui tua membra foret dignatus honore sepul-
Inter & antiquos contumulasset auos: (chri,
Quàm nostra moriare manu, campoq; relictus
Forsan ab hirsutis diripiare feris:
Forsan & ignota te uoluat Elister in unda,
Sala cibum uel te uiscibus, amne uehat.

Attamen

Attamen hoc solamen habe, quod fortibus ar-
Nostra tibi fuerit dextera causa necis. (mis
Est decus a magno prosterni Principe, cuius
Imperij sacrum fert diadema, caput.
Sic ait, & nitidum uagina diripit ensem,
Instat & armigero subdere calcar equo.
Nec mora, Ferfridum petit atri fulminis instar,
Et gladio plagas ingeminante ferit.
Sustinet ille graues armorum uiribus ictus,
Et ualido Sueuum non minus ense petit.
Crescit pugna, sonat repetito uerbere tellus,
Iamq; Duci uultum sanguis utriq; lauat.
Ferfridus iuuenis primo robustus in æuo
Urget, & admixtas non sinit esse moras.
Dumq; furit, noto committens prælia ferro,
En decisa tibi dextra Rodolphe cadit.
Quæ proiecta solo, digitis morientibus ensem
Seruat, arenosam tractat & inter humum.
Exclamant Sueui, pars acriter inuolat hostem,
Pars retrahit læsi membra cruenta Ducis.
Tum uero celeri sonuerunt classica motu,
Horruit & strictis ensibus omnis ager.
Apparere uelut maturis plenus aristas,
Cum rapido feruet Sirius igne, solet.
Ardua fit strages, fluit atro sanguine riuus,
Territus ad fontem Sala retorquet aquas.

Talis

Talis pugna tuas olim celer Aufide Nymphas
Dicitur ingenti sollicitasse metu:
Hannibal ut ueteres Romano sanguine Cannas
Et ripas meruit nobilitare tuas.
Sternuntur passim fortissima pectora ferro,
Cumq; uiris ipsi commoriuntur equi.
Auditur gemitus morientum, terra fragore
Intonat, atq; ingens æthera clamor adit.
Cernitur ancipiti uictoria ludere penna,
Et Mauors æqua fata bilance gerit.
Cæsar ut implicitas acies uidet, agmine toto
Procedit, sequitur magna caterua ducem.
Nec requiẽ quærit, donec prostertere Sueuos
Victor, & hac litem tollere luce queat.
Multa potest domini præsentia: miles ab illo
Robur & intrepidi munera cordis habet.
Ergo pius Cæsar medios dum fertur in hostes,
At sua truncatus membra Rodolphus abest:
Incipiunt tandem retrò concedere Sueui,
Atq; repentinæ tradere terga fugæ.
Saxones & liquida tenuerunt mollius unda
Cor, licet à saxo nomina dura trahant.
Sectari uoluit pavidos Henricus, at illum
Incumbens tenebris nox remorata fuit.
Ergo gradum uertit, repetens tentoria, uictor,
Agmen & in castris ponere signa iubet.

C

Miles

Miles at e pugna spolijs ditatus opimis,
Lætus io tota nocte triumphæ canit.
Insectatus erat Ferfridus longius hostem,
Committens auida prælia certa manu.
Ultimus idcirco regalia castra subiuit,
Sæpe diem paruas questus habere moras.
Illius aspersum corpus fuit omne cruore,
Ornatusq; uirum sanguine gessit equus.
Haud aliter quondam depulsis Hector Achiuis,
Ad Priamum fecit cæde cruentus iter.
Vulneris interea superante dolore, Rodolphus
Occubuit gelidæ Martis in urbe neci.
Cognouitq; Deum proceres punire superbos,
Quosq; rebellandi praua libido tenet.
At postquam ueniens tenebras aurora fugauit,
Porrexit uictas Sueuica turba manus.
Et puduit belli primates, turpibus ausis
Consilijsq; suo se nocuisse Duci.
Supplicibus Cæsar ueniã dedit: ampla rependēs
Dona, quibus fuerat martia dextra, uiris.
Sustulit in primis Ferfridum laudibus æquis,
Ceu cuius studio gloria parta foret.
Mox etiam comitem solenni more creauit,
Imperij membrum iussit & esse sui.
Nec non & partem regionis contulit illi,
Qua modo priuatus Marte Rodolphus erat,
Pars

Pars ea Sueuorum non est postrema sub oris,
 Adiacet & ruri clara Tubinga tuo.
 Hanc igitur postquam subiit Mauortius heros,
 Fixit in hoc ipso parta trophæa solo.
 Fessaq; curauit sociorum membra quiete,
 Passa diu bellum multaq; damna uiæ.
 Proxima cura fuit, pulchram qui conderet arcē,
 Æquaretq; polo splendida tecta domus.
 Mons in ea regione iacet, porrectus in altum,
 Visus & ætherea culmina nube tegi.
 Hunc hodie uulgus Sublimem nominat Iram,
 Illud & Herois munere nomen habet.
 Struxit in hoc etenim Ferfridus nobilis arcem,
 Et simul iratus talia uerba dedit:
 Ergo mihi patria cum sit regione carendum,
 Inque peregrinis uita terenda locis:
 Hinc tamē Ausonius mea fulmina sentiet hostis,
 Fixaq; crudeli gutture tela feret.
 Vtq; sciat ueniēs post tempora longa uetustas,
 Quam fuerint uitæ turbida fata meæ:
 Ardua perpetuo mons ille uocabitur Ira,
 Qui requiem nobis hospitiumq; dedit,
 Tunc ubi crudelis me Præsul auita coegit
 Iratum patrij relinquere iura soli.
 Arx autem ualidis quæ iam decorata columnis
 Surgit, & ad cœlum subleuat alta caput,

C. ij

De

De patris urbe mei, Zagarollæ nomen habebit,
Vt maneat generis fama uetusta mei.
Sic Helenus quondam Phrygia tellure fugatus,
Exiguum Troiæ condidit urbis opus:
Ac tenuem riuum Xanthi cognomine dixit,
Chaonios exul quando teneret agros.
Hæc ait. At nostris iam Zolleriana uocatur
Arx ea, corruptis significata notis.
Nox erat, & summo Phœbi soror aurea cœlo
Vecta, refulgentes arte regebat equos:
Cum iuuenis dulci recrearet membra quiete,
Percipiens longi grande laboris onus.
Astitit hic illi proles Æneia, pulcher
Ascanius, tales edidit atq; sonos.
Quid Ferfride tuos perpendis mente labores,
Et repetis uitæ tempora mœsta tuæ?
Ne te poeniteat patrios liquisse Penates,
Teutonis & Latio præposuisse solum.
Hoc dabit exilium tibi non delebile nomen,
Donec erit mundi martia Roma caput.
Ex te nascentur proceres, qui fortibus ausis
Ardua laudatum nomen ad astra ferent,
Atq; tuos uincant germanos diuite regno,
Te sine quos patriæ culta moratur humus.
Et tamen ex illis etiam generosa propago
Surget, & haud magnis infima rebus erit.
Sæpius

Sæpius e Latio nam Præfulis arma fugabit,
Iustaq; pro diuo Cæsare bella geret.
Sæpius euincet Gallos, Venetumq; cohortes,
Figet & in multis clara trophæa locis.
Præterea proceres illa de stirpe creati
Pontifices fient, Cardineiq; patres.
At tua posteritas latè dominabitur orbi,
Longius & fines protrahet usq; suos.
Imperij nomen tutabitur acribus armis,
Semper amans ueræ religionis erit.
Ingenuas artes & Musica castra fouebit,
Eriget & Clario docta Lyçæa choro.
Vnde Poëtarum scriptis celebrata legetur,
Dum cinget gelidum Parrhæsis ursa polum.
Non igitur tantum Sueuorum rura tenebit,
Oppida Francorum sed quoq; multa reget:
Oppida, quæ summo de culmine Pinifer altus
Despicit, & liquido flumine Mœnus adit.
Quæq; rigat uiridi Pegnesus arundine cinctus,
Atq; fremens uitreas Rheddesus inter aquas.
Quin etiam ueterem Brenni moderabitur urbem,
Clara gubernatrix & regionis erit,
Murmure quã rauco perlabitur humidus Albis,
Dum petit Arctoi frigida stagna maris.
Quam fecat, irrigua dū serpit Hauelus in herba,
Et Sprea, Nympharq; qui fouet amne choros,

Huius Vandaliaē populi quoq; iussa sequentur,
Qui ripas habitant Odera flauae tuas,
Hanc colet undoso circumflua Rugia ponto,
Ipse dabis titulos huic Pomerane nouos.
Prussia, cæruleis quæ succina gignit in undis,
Hanc etiam dominam sentiet esse suam:
Terræq; Sileni ueteris de nomine dicta,
Per quam formoso flumine Nissa fluit.
Ergo fer exilium moderato pectore: fortes
Illustrare solent talia damna uiros,
Si minus errasset, minus & caneretur Vlysses,
Huic nomen casus promeruerere graues.
Estq; tibi notum, post ultima funera Troiæ,
Italiam profugo me tetigisse pede.
Et tamen ipse fui Romanæ stirpis origo,
Exiliumq; mihi nomina clara dedit.
Hæc ait: ac tenues euanidus exit in auras,
Quodq; fuisse putes corpus, id umbra fuit.
Excitus e somno fugiente Columnius Heros,
Aspexit rutili sidera clara poli.
Sustollensq; manus, Deus o ter maxime, dixit,
Da precor his ueram rebus inesse fidem.
Quas mihi Dardaniæ proles celeberrima gentis
Prodidit, arcano uaticinata sono.
Te sine nulla potest hominum florere potestas,
Te sine non ullum nobile stemma uiget:

Per

Per te regna tenent ac celsa palatia Reges,
Per te uirtuti gloria iuncta uenit.
Talia dum fatur, cœloq; immobilis hæret,
Et prece diuinam supplice poscit opem:
Nuncia lunonis roseis extensa sub astris
Cernitur, & cultu uersicolore nitet.
Clarior ipsa quidem, quàm Phœbes debile lumen
Tempore nocturno constituisse queat.
Illa fuit regni prænuncia certa potentis,
Præsidet imperijs nam Iouis alma soror.
Ergo prodigijs motus fatalibus Heros,
Cum socijs æqua mente ferenda tulit.
Protinus uxorem celebri de stemmate duxit,
Quæ pareret casti pignora clara tori.
Connubium cessit feliciter: inclyta proles
Illius impleuit, sorte fauente, domum.
Quæ uirtute sua laudem superare paternam
Et proauos magno nomine, uisa fuit.
Fessus ad extremum curis Ferfridus & æuo,
Terrenas placida morte reliquit opes.
Fleuit ad illius tumulum pulcherrima Virtus,
Ultima cultori dans monumenta suo.
Scilicet insignem laurum, qui fronde perenni
Contegeret cineres, uir generose, tuos.
Fleuerunt Charites, fleuerunt Naiades udæ,
Quas fouet herboso lucidus amne Nicer.
Pierides

Pierides Musæ flores aspergite busto,
Et date cum uiolis mollia ferta loco,
In quo Marchiacæ tumulatur stirpis origo,
Eximijis quæ nunc laudibus implet humum.
Vix elapsus erat spacij centesimus annus,
Cum benè Ferfridi cresceret acre genus,
Fortibus & late famam sibi quæreret actis,
Dante Deo stirpi fata secunda piæ.
Quartus ut Italiam Conradus Cæsar adiuit,
Præbuit huic comitem Zolleriana domus:
Cuius in ambiguis est uirtus cognita rebus,
Cum fera Parthenope milite pressa fuit.
Vnde aliquot, ueluti pugnacis præmia dextræ,
Oppida Francorum, Cæsare dante, tulit.
Post ubi terrarum gestauit sceptrum Rodolphus,
Cæsar honoratis æquiparandus auis:
Est data Zollerio custodia Noridos urbis,
Pacificum nomen cui Fridericus erat.
Huius enim studio Cæsar deuicerat hostem,
Cœperat Austriacam qui uiolenter humum.
Quiq; Bohemorum bellaci pectore fretus,
Spreuerat imperij iussa uerenda sacri.
Progenit natum Fridericus, nominis hæres
Qui fuit, & patrias est moderatus opes.
Huic quoq; diuitias Cæsar Ludouicus & urbes
Contulit, ut celebri marte togaq; uiro.

Illius

Illius auxilio Bauaris uictoria parta est,
Hic ubi conspicuo Neccarus amne fluit.
Ipsemet ingressus Mauortia praelia, fertur
Austriacum uinclis impedisse Ducem.
Hoc etiam Latij sub Cæsare creuit in oris,
Cui tribuit nomen clara Columna, domus.
Nam quia Cæsareos Stephanus diademate crines
Cinxerat, ad ripas Tybri uadose tuas:
Innumeras accepit opes, signumq; coronæ,
Quod gereret fidei ceu momumenta suæ.
Hinc supra patrias insignia pulchra columnas,
Nunc ea Cæsareum gens diadema gerit.
Quando Sigismundus frenauit legibus orbem,
Hoc etiam uisum crescere stemma fuit.
Namq; Columnæa Princeps de stirpe creatus,
Ausonij munus Præfulis, Otto, tulit:
Quintus & est alio Martinus nomine dictus,
Ceu perhibent uera scripta uetusta fide.
Ille Sigismundus Dominū quoq; Noridos urbis,
Effecit titulo splendidiore frui.
Cum Friderice tibi populos donauit & urbes,
Qui Præses, quintus nominis huius, eras.
Factus es Imperij Septemuir, & ampla sub arcto
Marchia, te proprium cœpit habere Ducem,
Quam nunc ingenio præstans Ioachimus et armis
Possidet, & fato prosperiore regit.

D

Huic

Huic etiam nuper generi se culta regendam
Prussia perpetua sub ditione, dedit.
Iamq; sub Alberto traducit molliter æuum,
Obruta quæ bellis crebrius ante fuit.
Oppida Slesiacis etiam moderatur in oris
Multa, Columnæ clara propago domus,
Teutonicosq; Duces superet iam finibus omnes,
Si superet dominos Austria clara tuos.
Vsq; adeo uirtus proceres sustollit in altum,
Nec finit obscura conditione premi.
Hæc est Marchiacæ uerissima stirpis origo,
Hactenus ut numeris est celebrata meis.
Stemmatis idcirco communis origine gaudent,
Zollerij comites, Marchiaciq; Duces.
Suntq; Columnæis gentili sanguine iuncti,
Quos retinet Latij fertilis ora soli.
Gens ea progenit semper uirtutis alumnos,
Et celebres belli laude togaq; uiros.
Præsul ut Ausoniam possedit Honorius aulam,
Clarus Ioannes Marte Columna fuit.
Namq; Saracenos contra pugnauit, & iplis
Intulit heroa plurima damna manu.
Cepit & Ægypti Damiatam uiribus urbem,
Quæ iacet ad ripas turbide Nile tuas.
Transtulit in Latium multa cum laude columnã,
Ad quam Saluator tristia flagra tulit.

Illu

Illarubet, mundi quo crimina, sanguine, Christus
Abluit, & Romæ conspicienda patet.
Hæc est, in clypeis quam gens generosa Colūnæ
Incluta uirtutis ceu monumenta, gerit.
Nec tamen hæc priscis insignia gessit ab annis,
Ast ea, quæ retinet Zolleriana domus.
Prodiit ex illo quoq; stemmate martius heros,
Æacidæ nomen cui sua dextra dedit.
Nec non fama suæ Prosper celeberrima stirpis,
Qui Venetum largo sanguine, tinxit humum.
Insubrium Gallos & fortiter expulit oris,
Auspicijs Cæsar cum tulit arma tuis.
Quid referam summis Pompeiū laudibus auctū,
Cuius capta manu Roma superba fuit?
Quid referam proceres sapienti uoce disertos,
Quos tulit hoc, numero non leuiore, genus?
Principis Alberti facundia docta probatur,
Cui datus est triplex Pontificalis honor.
Ac tua non Ioachime minus; qui nominis huius
Primus, in arctoïis es dominatus agris.
Flexit Ioannes discordes Marchio Reges,
Quæ Vratislai mœnia clara iacent.
Et fuit illius Dux facundissimus æuit
Vsq; adeò dulces fudit ab ore sonos.
Hoc est natus auo, Sueui Ioachimus ad undam,
Imperio qui nunc regna paterna tenet.

D ij

Dux

Dux bonus & sapiens, pietatis amator & æqui,
Munificus, fidei iusticiæq; tenax.
Non ignaua gerens, sed idonea pectora bello,
Fortia ceu magni Principis acta docent.
Optime Septemuir, præstantibus inclyte factis,
Quando tuas laudes, quo decet ore, canam?
Me tua iam dudum uirtus rapit, atq; Camœnam
Vt tibi depromat carmina digna, monet.
Sed ne pressa cadat magnarum pondere rerum,
Suscipiat si tam grande, ueremur, onus.
Nam uix quinque meæ sunt lustra peracta iuuentæ,
Et uiret in teneris laurea uerna comis.
Nec tua cantari iuuenili uoce merentur
Gesta, sed eximio sunt recitanda pede.
Qualiscunq; meæ tamen est facundia uenæ,
Seruiet hæc laudi Dux generose tuæ.
Tu modo crescentis non temnito scripta poetæ,
Qui si uata uolent prospera, maior erit.
Maior ero, modo uita Deo mihi dante superlit,
Partaq; sint Musis oia iusta meis.
Quod mihi si facile dederint pia numina cursum,
Carminè prolixo teq; tuosq; canam.
Namq; duces referã, quos protulit ordine longo
Clara domus, generis fons & origo tui.
Non memoranda tuæ reticebo prælia dextræ,
Prælia Turcarum perniciose gregi.


Non

Non, uelut exulibus faueas hoc tempore Musis,
Afflictæq; iuues religionis opus.
Non etiam fratremq; tuum natosq; tacebo,
Atq; Borufforum qui regit arua, Ducem.
Præfulis intexam laudes, quem Livo remotus
Et colit arctoo proxima Riga freto.
Principis Alberti quoq; martia facta legentur,
Quem nuper terris abstulit atra dies.
Non tua Lethæis olim, Friderice Georgi,
Carminè clara meo, fama tegetur aquis.
Hos inter, uersu mihi liberiore canetur,
Saxonicam Præful qui moderatur humum.
Estq; Sigismundi laudatum nomen adeptus,
Dux bonus, & studijs deditus ipse pijs.
Qui prope tanta mihi facit ocia, quanta Maroni
Augustus Latia Cæsar in urbe dedit.
Marchiaci Proceres, clari præstantibus ausis,
Nec minus eximia nobilitate domus:
Aspirate meis, dum labor in æquora, uelis,
Magnaq; difficili scripta labore paro.
Per uos committam spaciofo linthea ponto,
Stemmatis & uestri plenius acta canam:
Quæ suppressa diu tenebris iacuere malignis,
Hactenus & laudes non habuere suas.

FINIS.

PHILIPPVS MELANTHON.

Dona Dei certè sunt hæc ingentia, ueræ
In lucem redijt quod pietatis opus.
Quodq; simul doctæ surgunt feliciter artes,
Quas pressit longo tempore Barbaries.
Quæ postrata diu iacuit diuina Poësis,
Iam uiuum rursus floret adepta decus.
Secula nostra uiros omni uirtute politos,
Vatibus & priscis progenuere pares,
Quos inter claræ Schofferus nomina famæ
Obtinet, & laudem cur mereatur, habet.
Huius enim dulcis commendat copia uenam,
Et mixtus sancta cum grauitate lepor.
Stigelius uates hunc diligit atq; Sabinus,
Doctrina summi iudicioq; uiri.
Christe precor studia hæc nostris tueare sub oris,
Et laudis facias organa multa tuæ.



Errata sic corrige.

A 2, linea 12. pro genenere, lege genere.

A 2. linea ultima pro grassatnur, lege grassantur.

B 1, facie 2. liena 4. pro sclerum, lege scelerum.

VVITTEBERGÆ

EXCVDEBANT HÆREDES

GEORGII RHAV. AN.

NO M. D. LVIII

7844 69

Erster Theil
A. 2. Litteris pro genere, lege generis
A. 3. Litteris ultimis pro gradu, lege gradus
B. 1. Litteris 2. Litteris 4. pro lectum, lege lectum

VITTEBERG
EXCELSIOR
GEORGI RMAN
NO. 12. 1. VII

nc




Pon Vg 4487, aK

ULB Halle
003 330 087

3







Farbkarte #13

B.I.G.

HISTORIA DE ORIGINE

ET INCREMENTIS ILLV-
STRISSIMAE ET INCLYTAE

FAMILIAE MARCHIONVM BRAN-

deburgensium, Elegiaco car-
mine illustrata,

à

IOHANNE SCHOSSERO

Poëta Laureato.

Cum præfatione

PHILIPPI MELANTHONIS.

VVITTEBERGÆ.

ANNO M. D. LVIII.

